

tim plebs jussisset, populum teneret, ac postea, cum patres de novo negarent, se populi nomine teneri, nova lege dubium sublatum fuit, ut videlicet Plebiscitis omnes Quirites tenerentur.

17. Denique cum Patriciorum ambitione legi huic iterum esset derogatum, Quintus Hortensius in tertia plebis ad montem Janiculum secessione eam renovavit.

18. Eadem dissensio inter patres & plebem originem dedit, ut Praetor evidenter mala patrum intentione & ad decipendum plebem crearetur, primum ex Patribus, mox ex plebe, primum unus, mox duo, & successu temporis adhuc plures.

19. Potestas eorum in jure reddendo primum constabat, postea variis modis aucta fuit, in tantum, ut non solum eorum Edicta, quæ in Albo proponebant, certam juris speciem constituerent, sed & ut adjuvare, supplere & corrigere iis jus civile liceret.

20. Quo pacto, cum clanculum & insidiose ipsis indulta fuerit potestas legislatoria, Jurisprudentia maxime obscura & intricata fuit redditus; Ut taceam, maximam